ORDINIS IVRIDICI
IN
ACADEMIA VITEMBERGENSI
H. T. DECANVS
GODOFRIDVS
LVDOVICVS
MENCKEN
ICTVS
POTENTISSIMO POLONIARVM REGI
ET ELECTORI SAXONIAE A CONSILIIS AVLAE
ET IVSTITIAE AC IN SVMMO PROVOCATIONVM
IVDICIO ANTECESSOR COLLEGIORVM IVRIDI-
CORVM VITEMBERGENSIVM ET CONSISTORII
ECCLESIASTICI ATQVE IVDICII PROVINCIALIS
IN INFERIORE LVSATIA
ASSESSOR

LECTORI BENEVOLO
S. D. P.

Digitized by Google

Digitized by Google

Quod alteri per alterum iniqua inferri non debeat conditio, eleganter, nec abſque cauſa, tradit PAPINIANVS *l. 74. de R. I.* Plus enim iuris multoties homines in re illa, quam tenent, ſibi competere exiſtimant, quam quod nititur ueritate. Qua opinione ducti, ſaepiuſcule id appetunt et peragunt, uel omittunt, quod ſibi conducere credunt, nulla habita ratione, utrum hoc noceat tertio, nec ne. Igitur caute certe et cogitate rem ſuam tractat ille, qui, ob ius ſibi in re alterius competens, in tempore uigilat, et cauſam ad iudicem defert, ſicque damnum, quod metuit, prohibitione interpoſita ſua, auertitet declinat. Nec quicquam refert, commodum ipſius contradicentis ex re illa ſit praeſens ſiue futurum, modo eius, ne hoc, ex quo capere poſſit detrimentum, fiat, interſit. Illud Papiniani effatum non minorem habet uſum in rebus feudalibus, quam in negotiis ciuilibus. Nam et in eo Domini directi pariter ac agnatorum uel ſimultanee inueſtitorum

rum commodum uerſatur, ut Vaſallus re, ſibi in feudum conceſſa, bene utatur. Vti enim feudo poteſt, ſed ita, ut boni patriſſamilias veſtigia undique conſpiciantur. Teſtimonio ſunt uerba legis, quae extant *2. F. 8.* ibi: „meliorem namque Vaſallus conditionem „feudi facere poteſt, deteriorem uero ſine domini uo„luntate uel eorum agnatorum, ad quos per ſucceſſio„nem pertinet, facere non poteſt. Quamuis enim „poſſeſſio per beneficium ad eum pertinet, tamen pro„prietas ad alium ſpectat.„ Nec deficit legis illius ratio. Feudum enim irreuocabiliter ad Vaſallum non ſpectat, potius res eſt, quae reſtitutioni ſubiecta. Certe igitur boni patriſſamilias uiolat leges Vaſallus, qui feudo abutitur, aut de iure ſibi, reſpectu illius, competente, abſque cauſa ſufficiente et ſine conſenſu eorum, quorum intereſt quaeuis iura feudi permanere illibata, quicquam remittit, uel aliqua eius parte plane non, uel non ſecundum modum praeſcriptum, quae paria ſunt, *l. 10. l. 18. Quemadm. ſeruit. amitt.* fruitur. Ideo circumſpecte utique agit ille, cui hoc, quod Vaſallus efficit uel efficere tentat, damnoſum eſt, ſi contradicit, et prohibitione interpoſita ſua grauius incommodum auertit, atque Vaſallum, a nocendi propoſito, licito tamen declinat modo. De hoc in praeſenti, quam breuiſſime potero, agam, quibuſdam probabo exemplis pariter et argumentis. Equidem inficias non eo, poſſe Vaſallum, feudum uel eius partem inſigniter deteriorem reddentem, priuari feudo, ſaltim eius parte deteriorata. STRVV. *Synt. Iur. Feud. Cap. 15. n. 5.* Praeterea ipſum eiuſque heredes domino, agnatis uel ſimultanee inueſtitis ſuccedentibus, refuſione damnorum et praeſtatione intereſſe obſtrictos teneri. Dubius tamen non raro eſt litis egreſſus, cum minima

ſaepe

saepe circumstantia uariet iuris applicationem, et probatio damnorum multis immixta sit difficultatibus, ad quod denique accedit, quod damnum quandoque sit irreparabile. Satis igitur, credo, apparet, quod hac in re opus sit cautione, resque agatur Domini directi, penes quem rei immobilis beneficiatae proprietas remansit, *2. F. 23. in fin. iunct. 2. F. 8.* pariter et Agnatorum uel simultanee inuestitorum, qui commodum successionis sperant, ut potius intacta eorum conseruentur iura, quam post uulneratam causam remedium quaeratur. Operae pretium est, ut instituti usum uideamus. Exigit hoc ipsa necessitas, ne quis negotium me suscepisse inutile arbitretur. Sylua interdum alicui uel simpliciter, uel ut pars fundi beneficiarii in feudum conceditur. Caueat autem Vasallus, ne re illa abutatur, uel id efficere tentet. Nam qui ita se gerit, iustissimam aliis, quorum interest quasuis ab interitu conseruari feudi partes, conquerendi suppeditat causam. Sciat enim Vasallus, quod ius eius, percipiendi fructus ex feudo, sit ad leges boni Patrissamilias adstrictum, et quod rem in feudum datam meliorem quidem facere queat, deteriorem non aeque, *2. F. 8.* Dominus illius tantum reuocabilis, et feudum in eadem bonitate, qua accepit, sit restituendum. Nec quicquam refert, si etiam aedificium forte uoluptarium fundo feudali imponere, et arboribus ad eius exstructionem uti intendat. Similiter huc pertinet casus, quando Vasallus aedes, quae minitantur ruinam, reficere intermittit. Promanat interdum in hominis uenas, et inhaeret in eius uisceribus, nec inueteratus euelli potest morbus ille, cui nomen est auaritia, qua nullum certe tetrius est uitium, quaeque fidem, probitatem, ceteraque artes bonas subuertit. Et Vasalli quandoque fer-

uet auaritia miseraque cupidine pectus, praesertim illius, qui liberos ad succedendum in feudo habiles non habet, ut animum tantum intendat in id, quo sibi et suis consulat, parum autem, aut nihil, curet officium boni patrisfamilias, et aedium, quae fundo feudali impositae sunt, refectionem. Pariter peccat Vasallus, iisque, ad quos feudum tandem pertinet iniquam infert conditionem, qui arbores frugiferas fundo feudali cohaerentes, caedit, uel illud intendit, et caedere incipit. Quod IVLIVS CLARVS, *receptarum sententiarum L. IV. §. feudum, qu. 47.* multis, quae addidit, comprobauit argumentis. Et quod aliquando simultanee inuestitus prohibendo sua iura commodaque futura conseruauerit salua et illibata, atque in causa obtinuerit, memini. Nec obstaculo est, si arbores ipse uel eius antecedentes a quibus feudum, quod possidet, ad illum peruenit, posuerint, uel seruerint. Proprietas enim rei immobilis beneficiariae penes dantem remansit *2. F. 23. iunct. 2. F. 8.* Et arbor fundo, ubi coaluit, cedit, eiusque pars esse censetur. *l. 7. in fin. l. 26. §. 2. De Acquir. rer. domin. l. 44. de Rei Vindic.* His merito accenseo casum, quando Vasallus partis feudi faciem mutat, atque illa non, ut fuit destinata ad usum, fruitur, aut frui inchoat. Hoc enim facto Vasallus rem, quod leges uetant, reddit deteriorem, cum illa non, quo debet, utatur modo. *l. 4. §. 1. de Seruit. l. 10. et seqq. Quibus modis usufr. uel us. amitt. l. 2. de Aqu. quotid.* Interest igitur domini directi et agnatorum uel simultanee inuestitorum, Vasallum nec aliter, ut ipsum decet, ex feudo percipere fructus, praesertim, si ulteriore eius ad succedendum prosapia deficiente, ultimus sit feudi possessor, resque ipsa, mutatione facta, non, nisi multa tractatione et cura ad pristinum usum et statum reduci queat.

Huc

Digitized by Google

Huc refero, prata foeno comparando destinata rastro subigentem Vasallum, agriculturam negligentem, et agros steriles efficientem. Caute ergo et cogitate rem tractant suam, si, re comperta, Vasallum a facto sibi damnoso prohibent. Certe enim ipsis hoc magis conducit, quam actio illa ad interesse, quae saepiuscule multis et grauissimis immixta est difficultatibus. Pariter sentio de Vasallo, qui dolo uel culpa sua quicquam de iuribus feudi cohaerentibus, quae interdum incertam recipiunt aestimationem, remittit. Prodest enim magis iura conseruare intacta, quam post uulneratam causam remedium quaerere. Tandem, ut ad Vasallum in subditos feudales saeuientem transeam, supereſt. Hoc factum Vasalli non legibus naturalibus solum, sed et ciuilibus repugnat. Prohibebantur enim Iure Romano Domini seruos atrociter tractare suos, et nimia barbaraque feritate in illos saeuientes, ipsos dimittere cogebantur. *l. 1. §. ult. l. 2. de his qui sui uel alieni iuris sunt.* Certe igitur, credo, in eo omnium conspirabunt iudicia, hoc multo minus licere Vasallo. Plus enim iuris Domino competebat in seruos, quam quod habet Vasallus in subditos feudales. Siquidem feudi totius proprietas penes dominum directum remansit. *2. F. 23. iunct. 2. F. 8.* Offendit quoque Vasallus Dominum ipsum, cum graui iniuria afficit, et crudeliter tractat illos, qui suae sunt subiecti potestati, *2. F. 7. pr. in fin.* Et rei beneficiariae, cuius partem constituunt subditi, conditionem reddit deteriorem, quod fieri leges expresse uetant. *2. F. 8.* Igitur dubitationi locus non est, posse subditos feudales, quos grauiter premit Vasallus, causam deferre ad Dominum, atque de eius queri feritate et iniuria. Poterit utique etiam Dominus sponte sua, non implorato eius officio, admonere Vasallum, quem

sae-

saeuire in subditos feudales, suae potestati subiectos, animaduertit, ut ab illo desistat facinore, et, si dicto obediens non est, illum priuare feudo. Testimonio sunt uerba Iuris Clientelaris, *2 F.27. §. 7.* quae ita concepta sunt: „Quicunque Aduocatiam suam uel ali„quod aliud beneficium inornate tractauerit, et, a Do„mino suo admonitus, non resipuerit, et in sua perdu„rans insolentia, ordine iudiciario tam aduocatia, quam „beneficio, exutus fuerit, si postmodum ausu temerario „aduocatiam uel beneficium inuaserit, pro uiolatore „habeatur„: Certe etiam in eo quisque mecum conueniet, non repellendum esse agnatum uel simultanee inuestitum, qui hoc Vasalli in subditos feudales saeuientis facinus ad dominum defert, eiusque officium, ut his subueniat, implorat. Nam illorum quoque, qui commodum successionis sperant, interest, ne Vasallus feudo uel eius parte, ad se tandem pertinente, male, ut patremfamilias non decet, utatur. Ad saeuitias autem refero, quando Vasallus animalia uel agros subditis iniuria aufert, *l.3. C. de Erogat. milit. ann. l.4. l.6. C. ad L. Iul. repetund.* illos bonis, quae habent, spoliat, et ad inopiam redigit, *l.4. de Agnosc. et alend. lib. l. 22. ff. de Oper. Libert.* exactionibus illicitis et operis assiduis insolitisque nimium grauat, et adeo onerat, ut ipsis, sese et suos alendi, facultas nec tempus superfit, *l. 23. §. 1. C. de Agric. et Cens. et Colon. l. 1. C. in quib. caus. Colon. Cens. domin. accus. poss. l. 22. §. fin. de Oper. libert.* ac illud solum intendit, quo gulam improbam et profundam expleat suam, et cum aliorum detrimento locupletior existat. Enim uero, num comminatio memorato in casu priuationem feudi semper antecedere debeat, est in ancipiti, et quaestio, quae omnibus ambiguitatibus non uacat. Equidem inficias non eo, Vasallum nexum fide-

fidelitatis feudiſticae, qui inter illum et Dominum directum intercedit, compellere, ut Domini commodum promoueat, nullo autem interuertat modo, atque a ſubditorum feudalium abſtineat offenſione, *2. F. 7. pr.* nec certiorari debere illum, qui non ignorauit. *l. 1. in fin. de Action. Empt. Vend. c. 31. de R. I. 6.* Ideo ſpeciali non eſſe opus admonitione, potius poſſe Vaſallum ſtatim priuari feudo, quis forte coniiciet. Verum enim uero non abſque fundamento in eorum abeo partes, qui illam affirmant. Ita autem ut iudicem, faciunt uerba, quae legimus *2. F. 27. ff. 7.* Haec, quia ad caſum pertinent, repetenda puto: „Quicunque Aduocatiam „ſuam uel aliquod beneficium inornate tractauerit, et, „a Domino ſuo admonitus, non reſipuerit, et in ſua per„durans inſolentia ordine iudiciario tam aduocatia quam „beneficio exutus fuerit: „ ex his ſatis, credo, liquet, debere illo in caſu comminationem ſemper praecedere feudi iacturam

Pluribus autem his inhaerere inſtituti ratio non permittit. Nam de Clariſſimi Candidati noſtri ortu, uita, moribus ac eruditione, quam ſibi indefeſſo parauit labore, dicendum reſtat. Quod iure ſuo a me exigere uidetur. Quae eo pertinent, ab ipſo conſcripta, huc refero.

Ego IOANNES PAVLLVS SCHROETER, *natus ſum Dreſdae, Anno partae ſalutis 1719. d. 24. Aprilis. Patrem ueneror* D. PAVLLVM CHRISTIANVM SCHROETER, *Dymaſtam Waldae, Potentiſſimo Poloniarum Regi*

et Electori Saxoniae in Summo Prouocationum Iudicio et Consistorio Superiori a consiliis, cuius in me paternum affectum, summamque indulgentiam, quoad uixero, quauis pietate atque deuotione deosculabor. Matre uero usus sum EVPHROSINA, *ex gente* STRAVCHIANA *oriunda, matrona omnibus sexus sui uirtutibus nobili, cuius praematurum obitum non satis lugere possum.* Auus lineae paternae *fuit* D. IOANNES PAVLLVS SCHROETER, *Potentissimo Polon. Regi et Electori Saxoniae a Consiliis Prouocationum, Assessor Collegii ICtorum Wittembergensium, eiusdemque ciuitatis Syndicus. Auia autem eiusdem lineae fuit* ANNA MARIA, D. MICHAELIS WENDLERI, *Theologiae Professoris Extraordinarii et Moralium Ordinarii in Academia Wittembergensi, filia. Proauus fuit* PAVLLVS SCHROETER, *Medicinae Licentiatus, Consul et Physicus ciuitatis Torgauiensis. Proauia autem* ELISABETHA, M. CHRISTIANI MEISNERI, *Archidiaconi Torgauiensis, filia. Abauus mihi extitit* MAVRITIVS SCHROE-

SCHROETER, *Medicinae Doctor, atque eiusdem Facultatis in Academia Lipsiensi Assessor, nec non Scholae Prouincialis, quae Grimmae est, Medicus; Abauia uero* DOROTHEA *nata* STVMPFELDIA *fuit. Atauus fuit* WOLFF SCHROETER, *Iurium Licentiatus, Comitum Mansfeldi Cancellarius, postea uero Halae in Consilium Aulicum Magdeburgicum, quod Halae erat, cooptatus. Atauia extitit* DOROTHEA, *nata* STEINMETZIA. *Tritauus erat* IOANNES SCHROETER, *Medicinae Doctor, ac per 30 annos Professor Academiae Ienensis, qui istius Academiae Priuilegia, diu expectata, ex Aula Caesarea attulit, et eapropter primus ibidem Rector creatus est. Factus est ab Imperatore Ferdinando I. Comes Palatinus, et ab eodem Anno 1557. nobilitate generis pro se et omnibus descendentibus suis donatus est, idque non modo ob praeclara in rem litterariam merita, sed etiam propter generis antiquitatem, siquidem pater eius,* PETRVS SCHROETER, *Consul Vinariensis, mater uero nata* DIETZIA, *Cancellario Saxonico famigeratissi-*

tissimo GREGORIO PONTANO *propinqua cognatione fuit coniuncta. Tritauia fuit* VRSVLA, *nata* GROSHEVPTIA.

Quod ad maiores meos lineae maternae *attinet, Auus mihi extitit* M. AEGIDIVS STRAVCH, *Consistorii Assessor, et Pastor Primarius Ecclesiae Germanicae, quae Holmiae est. Auia uero fuit* ELISABETHA, M. BEZELII, *Consistorialis et Pastoris Primarii in ista urbe filia. Proauus erat* M. SAMVEL STRAVCH, *Pastor Ecclesiae St. Annae, quae Dresdae est, per 30 annos meritissimus. Proauia uero fuit* ANNA MAGDALENA, D. IOANNIS DAVTHENII, *Consulis ciuitatis Magdeburgicae, et postea Consiliarii Aulici Bremensis, et Vicecancellarii, filia. Abauus erat* AEGIDIVS STRAVCH, *S. S. Theologiae D. Electoris Saxoniae Consiliarius in Consistorio Superiori et Senatu Sanctiori, nec non per 40. annos Pastor atque Superintendens Dresdensis. Abauia uero fuit* EVPHROSINA *abneptis* LVCAE CRANACHII, *Consulis Ciuitatis Wittembergensis, et in arte pingendi*

Digitized by Google

di celeberrimi. Et quid opus est, ut in enarrandis gentis STRAVCHIANAE *decoribus longus sim. Constat enim inter omnes, ex ista familia uiros, de ecclesia et republica meritissimos, prodiisse, eiusque gloriam insigniter adhuc tuetur incomparabilis Witembergensium ICtus, Illustris* a LEYSER, *cuius quidem immortalibus in rem publicam atque orbem literatum meritis, non dicam exornandis, sed saltem recensendis, nequaquam par sum. Redeo potius ad ea, quae de mea uiuendi ratione dicenda sunt. Non cessarunt Parentes mei indulgentissimi, me, quamprimum tenera aetas permisit, institutioni fidelissimorum uirorum credere, et inprimis Viri Plurimum Reuerendi,* M. GRENTZII, *Diaconi nunc Dresdensis meritissimi, adhibitam in me instituendo industriam, nulla oblitterabit obliuio. Anno 1734. in Scholam Prouincialem, quae Misenae floret, studiorum, quae ad humanitatem pertinent, prosequendorum causa me contuli, et ibi in numerum extraneorum, ut iuocantur, receptus, hospitioque Viri Summe Reuerendi* D. WILCKII, *Superintendentis Misnensis meritissimi,*

tissimi, cuius in me humanitatem publicis efferre laudibus debeo, usus, per nouem menses fidelissima MARTII, SILLIGII, GRABNERI, (*in cuius conuictu fui, et cuius ex priuatis praeceptis fructum insignem percepi*) KAVDERBACHII, *et* GLIMMII, *institutione fruitus sum. Optassem ut mihi diutius inisto studiorum ludo progressus faciendi felicitas contigisset. Sed aduersa ualetudine pressus, Dresdam reuerti coactus sum, ubi graui morbo per biennium laboraui, donec tandem Summi Numinis gratia, indefessaque cura Virorum Illustrium atque Experientissimorum,* Nob. Dom. a HEVCHER, *a Consiliis Aulae, et Archiatri Potentissimi Pol. Regis et Electoris Saxoniae, nec non* D. TITTMANNI *Reg. Pol. et Elect. Saxoniae in rebus Metallicis a Consiliis, et Medici Aulici, pristinae sanitati restitutus sum. Hoc facto, denuo ad litterarum Studia redii, et priuata opera Virorum plurimum Reuerendorum,* M. HESSII *Aedis Sacrae Orphanotrophei, quod prope Dresdam est, Concionatoris, et* M. GEVDTNERI, *qui nunc Waldae curam animarum gerit, adiu-*

tus,

Digitized by Google

tus, eo perueni, ut uenerando Parenti meo e re esse uideretur, me ad altiora tractanda studia, in Academiam mittere. Eo consilio Wittembergam discessi, ibidemque Ao. 1738. d. 16. Octobris, Rectore Academiae Magnifico KIRCHMAIERO *Pot. Pol. Regis et Elect. Sax. Consiliario et Professore Publico, in numerum ciuium academicorum relatus, a Beato* KRAVSIO, *ICto et Profess. Pandectarum Publico, per matrimonium cum germana parentis mei sorore propinqua mihi affinitate coniuncto, humanissime exceptus sum, in cuius aedibus eo quoque mortuo, quamdiu hic Wittembergae commoror, lubens permansi, tantoque lubentius, quanto maiori Gentis* KRAVSIAE *beneuolentia usus sum. Ne uero illotis, ut aiunt, manibus ad Themidis Sacra accederem, per primum uitae meae Academicae Semestre ad Philosophiam animum appuli, ideoque* M. HANITZSCHII *praelectiones philosophicas frequentaui, et institutione* M. BODENII, *Professoris Antiquitatum, usus, optimis litteris operam dedi. Deinde quoque Virum Illustrem,* Nob. Dom. de BERGER, *Consil.*

Caes.

Caeſ. et Aulicum Reg. Pol. Profeſſorem eloquentiae Publicum, Hiſtoriam Imperii et Statuum, ducibus Puffendorffio et Ottone, exponentem, audire mihi licuit. Collegium etiam Morale et Politicum Prof. Poeſ. MARTII *frequentaui, nec non Prof. Phyſ.* BOSII *Collegio Phyſico experimentali interfui, lectiones quoque anatomicas priuatas Viri Magnifici Experientiſſimique* D. VATERI, *quoties occaſio tulit, uiſitare haud neglexi. Nec corporis omiſi exercitia, cum, ut iis ualetudini conſulerem meae, tum etiam, ut corpus magis magisque excolerem, illudque ad incommoda, quae ſubinde ferre neceſſum habemus, melius ſuſtinenda, praepararem. Ex quo ad Iurisprudentiam addiſcendam me applicui, per quadriennium Iuri Ciuili, Canonico, Feudali atque Publico, operam dedi, nec non diſputatoriis, examinatoriisque, ut uocantur collegiis interfui. Si unquam gloriari, fas eſt, hac certe in re felicem me iure optimo praedico, quod illos nactus ſim in cognoſcendis iuribus duces, quorum in docendo dexteritas omnibus eſt conſpicua, et quorum eruditionem exteri*

quo-

Digitized by Google

quoque ſuſpiciunt. Apud Illuſtrem enim Virum A LEYSER *non publice modo in Iure Ciuili Canonico et Publico proficere mihi licuit, ſed etiam priuatim in referendis actis me exercui, atque ex illius examinibus, exercitiiſque diſputatoriis priuatis, fructus percepi ampliſſimos. Illuſtris* BASTINELLERI *praelectionibus Pandectarum, examinibusque priuatis magno cum ſtudiorum meorum incremento interfui. Nec non Illuſtrem* MENCKENIVM, *Iuriſprudentiam Romano Germ. forenſ. et Ius feudale exponentem, inſigni cum utilitate mea, audiui. Illuſtri* CRELLIO *quoque multa me debere, publice profiteor. Huius enim ex praelectionibus, tam publicis, quam priuatis, Iuris Naturae, Inſtitut. Pandect. Iuris Criminalis, et Practici, nec non Philoſophicis inſtitutionibus, ita ſemper profeci, ut ingratus forem, ſi quidem tacitus haec praeterirem. Non minus ex Illuſtris* RIVINI *explanationibus Hiſtoriae Iuris, Inſtitutionum, modique cauſarum in iudiciis tractandarum, eximia commoda haurire mihi contigit, cuius etiam Collegiis exa-*

minatoriis atque disputatoriis, magno cum fructu meo interfui, atque sub illius Praesidio Theses Iuris Controuersi, ab ipso editas, a Thesi CCCXLIII. *usque ad Thes.* CCCLIV. *d. 18. Nou. 1741. publice in Auditorio ICtorum defendisse, singulari honori mihi duco. Insignem quoque proficiendi materiem praebuit Vir Consultissimus* D. BROCKES, *cuius quidem explicationes Institutionum, Pand. et Iuris Feudalis, nec non exercitia disputatoria, priuata frequentaui.*

Neque denique silentio praetereunda mihi sunt, quae ex horum uirorum doctrina in me redundarunt emolumenta, quoties uel publice dissentientium subsellia occupare mihi contigit, uel priuatim illos, obseruantiae testandae causa, adii, ubi humanissime semper ab iis exceptus sum; Tanta sane in me collata sunt beneficia, ut debitas grates nunquam me redditurum, probe intelligam. Interim sancte testor, nunquam futurum, ut animo excidat tantae propensionis memoria.

Nunc

Digitized by Google

Nunc absolutis studiis meis, Patronis, quibus, quicquid in me est scientiae, acceptum refero, publice diligentiae Academicae rationes reddendas esse arbitratus sum.

Igitur cum Clarissimus Candidatus noster IOANNES PAVLLVS SCHROETER, uita feliciter, bene, et ex uoto peracta, nunc ad altiores in utroque Iure adspiret honores, iisque cupiat exornari, eius desiderio eo lubentius annuit Ordo Noster, quo certius per ea, quae sustinuit examina, insignem suam in iure acquisitam peritiam cum humanitate modestiaque coniunctam nobis comprobauit. Gratulor Illustri atque Excellentissimo eius Patri, ICto celeberrimo, de republica, ecclesia, et re literaria, admodum meritissimo, Patrono nostro longe Grauissimo, de filio ex Academia nostra non sine industriae singularis laude, imo nec sine praemio eruditionis, redeunte, omnemque exspectationem uincente. Et cum res nunc in eo sit, ut sub praesidio Illustris, Magnifici atque Excellentissimi Viri, CHRISTOPHORI LVDOVICI CRELLII, ICti celeberrimi, Potentissimi Regis Poloniae et Electoris Saxoniae Consiliarii Aulici, Pandectarum Professoris Publici Ordinarii, Curiae Prouincialis et Scabinatus itemque Ordinis Iuridici Assessoris Grauissimi, pro licentia summos in utroque Iure honores consequendi Dissertationem, *de Venditione rerum cum fundo adhuc cohaerentium* ad L. XXXX. D. De *Act. Emt. Vendit.* d. XVIII. Mensis Aprilis publice rituque solenni defendat, ea ex causa, ut Ma-

Magnificus Academiae Rector, Patres ac Proceres, reliquique Academiae Generosissimi ac Nobilissimi Cives, studiorum fautores, hunc actum festiuum honorifica sua praesentia reddant illustriorem, omni, qua par est, animi obseruantia, meo et Ordinis nomine rogo atque contendo. Dab. Vitembergae d. XVIII. Aprilis M DCC XXXXIII.

VITEMBERGAE,

LITTERIS SCHEFFLERIANIS.

Digitized by Google